



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De majoritate & obedientia. Consilium XLVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

hæc videlicet, Henr. Bohic. in d. c. Grave. Nos Archiepiscopus cum consensu suffraganeorum nostrorum in Concilio congregatorum statimus. &c. Atque item verba Concilij Tridentini hæc Sess. 25. decreto De invocatione, veneratione, & reliquijs in fin. Episcopus, antequam controversiam dirimat, Metropolitanus & provincialium Episcoporum in Concilio provinciali sententiam expectet. Sic quod manifestum sit, quod cum de voce seu suffragio judicandi vel statuendi queritur in provincialibus Concilijs, solis Episcopis id attribuendum sit; quasi in eis magis electa sit industria personæ: quod perinde in Capitulo, quod diversis personis constat, dici non potest. *Ant. de Rosel. d. n. 15.*

13. † Quæ etiam ratio est, cur Episcopi ad hoc Concilium vocati, cessante legitimo impedimento, personaliter comparere debeant, d. c. Si Episcopus; alij autem omnes Prelati inferiores, atque etiam Capitula Cathedralia, per nuntium, seu procuratorem, d. c. fin. De his que sunt a prelat. Sic quod hinc manifestum fiat, necessitatem vocationis & comparitionis, non habere conjunctam facultatem judicandi, definiendi, aut statuendi: & Episcopos quidem necessario vocari ut consulant, judicent, & statuunt; alios autem ut consulant, audiant, & opinionem suam tantum proferant. *Ioan. And. & Panor. in d. c. fin. Petr. de Monte Veneris in Monarchia Conciliorum tit. De Concilio generalis congregatione q. 7. versio. si autem dubitaretur.*

De majoritate & obedientia.

SUMMARIUM.

Calendarij correctio.

1. Intercalationis effectus in reformatione Calendarij.
2. Papa in rebus spiritualibus & Ecclesiæ omnem potestatem habet.
3. Annus completur illucescente ultimo die.
4. Annus incipit pro completo habetur.

CONSILIUM XLVII.

GREGORIUS XIII. Papa in anno Domini 1581. & sequente publica vit restitutionem Calendarij, operâ & studio Aloysij Liliij Mathematici composuit; non per intercalationem vel embolimeorum dierum insertionem seu additionem, ut ex Iulij Cæsaris instituto fieri solet, sed ad exemplum veterum Græcorum & Siculorum, per subtractionem exherelimpiorum, hoc est, exemptionum dierum decem: Romæ quidem in mense Octobri anno 1582. in alijs vero provincijs, ad quas novi hujus Calendarij notitia serius pervenit, in mense Februarii aut Octobri sequente faciendam: ita ut vel Octobris illo anno viginti & uno, Februarius octodecim diebus dumtaxat constaret. Per indultum Apostolicum nominandi Facultati Artium in Universitate Lovanensi concessum, inter alia cavetur, ut qui novem annis in eadem Facultate promotus fuerit, nominari possit ad beneficia valorum annuum sexaginta florenorum auri de Camera non excedentia: item per concordata Sedis Apostolicæ cum Natione Germanica statutum est, ut nullis preventivis aut expectativis gratijs Apostolicis gravari possint ordinarij beneficiorum collatores in æternis totius anni mensibus, Februa-

rio, Aprili, Junio, Augusto, Octobri, & Decembri. Virtute hujus indulti per dictam Facultatem ad collationes beneficiorum Abbatis S. Iacobi Leodienensis primâ mensis Martij anno 1583. post dictorum decem dierum exemptionem factam in Februario nominatus est M. Henricus Freisne; qui vigore ejusdem nominationis acceptavit Capellaniam ad dicti Domini Abbatis collationem, vacantem sextâ dicti mensis Martij, quam idem Abbas, non obstante dictâ nominatione, suo familiari contulit.

M. Henrico nominato obijcitur quod tempore nominationis nonum annum à die promotionis non compleverit; ut potè primâ Martij anno 1574. promotus. Obijcitur quoque, quod beneficium hoc vacaverit in mense Ordinarij, hoc est, in Februario; ratione habitâ ad vetus Calendarium, licet secundum novum hæc vacatio incidisse videatur in Martio, intra primos decem illius dies, qui in numeratione dierum totius anni (qui 365. constat l. Cum heres §. Stichus De statu liberis, l. Ita vulneratus Ad Leg. Aquil. l. Annulus non statim 132. de verb. signif.) non factâ hæc exemptione, futuri erant mensis Februarij.

Quæritur, an hæc duplex obiectio nominato efficaciter obstat? In constitutione Pontificia, super hac restitutione, unica legitur exceptio; ut scilicet hæc subtractio decem dierum non faciat præjudicium annuis vel mensibus præstationibus. Ordinatio Regiæ Catholiciæ Majestatis in permissione usus illius, latiore facit exceptionem, per extensionem ad præscriptiones, actiones, exceptiones, dilaciones, & alia similia; ita ut primo aspectu videri posset hic casus contineri sub adjecta hujusmodi exceptione. Sed quoniam exceptio regulam confirmat in casibus non exceptis, l. Ob quæ vitia §. 1. de edit. editio; nobis verius videtur neutrum vel nominationi vel acceptioni prædictæ obstare; beneficiumque hujus restitutionis Calendarij nominato prodesse, non obesse debere. * Primum ob id, quod prædictum novennium complevisse intelligatur, qui pervenit ad primum, & multo magis si ad secundum diem dicti mensis Martij: nam quâ ratione in usu intercalationis per bissextum duo dies pro uno habentur, per legis auctoritatem, l. Cum bissextum 98. de verb. signif. c. Quasivit §. ult. extra de verb. signif. eadem quoque exemptis decem diebus, in acceleratione sequentium factum dici debet; & civiliter ac commentitiè factum censeri deberet, si in rei veritate exemptio seu subtractio facta non esset: quia favor reipublicæ id postulat, ut certa temporum ratio constet, quod in necessitate hujus exemptionis fieri non posset, si, propter privatum aliquorum commodum, in privatis actionibus per numerum non mensium, sed dierum temporis dinumeratio fiat. Sic enim omnes menses præcedentes cum sequentibus concurrerent, & nullus suo numero per se stare: ita quod in observatione hujus alternationis seu alternatorum mensium ex dictis Concordatis, ordinarius Collator æquo animo ferre debeat, quod ei unicus mensis Februarius, unâ tantum vice, numquam intra hominum memoriam reditura, sic decisus & abbreviatus fuerit ab eo, † qui in illis principatum obtinet ex plenitudine potestatis c. Antiqua De privileg.

Privil. Clem. 1. in fine Ve lue pendente &c. ex qua & beneficia & quodcumque aliud ius cuique clerico auferre potest, &c. Proposuit de concess. preben. Ve & Imperator de seis subditis statuere potest, praesertim ex iusta & omnium maxime reipublicae vel necessaria vel utili causa, DD. in l. item si verberatum §. 1. de rei vindic. Iason. in l. fin. C. Si contra ius vel utilit. publ. qualis est hae fectorum & Calendarij reformatio; quam consultum erat facere in intercalari mense, hoc est, Februario, sine confusione & perturbatione aliorum sequentium; quod fieri deberet, si qui ex Februario detracti sunt, ex Martio suppleri deberent: ita enim consequenter faciendum esset & in alijs mensibus, sed cum nimis magna absurditas.

- 3 Verum itaque est hunc nominatum, exacto mense Februario, quamvis sic deciso & abbreviato, illucescente vltima illius die, etiam si plenè exacta seu completa non fuerit, complese nonum promotionis suae annum: regulariter enim in favorabilibus tempus pro completo habetur, cum ad novissimum diem perventum est, etiam si is nondum totus praeteriit, d. l. Annulus, l. si ita fuerit de munif. testam. 3. §. minorem de minorib. ¶ Quinto certior rationem iuris sequendo, ad constituendum dictum novennium videri posset sufficere initium novi anni attingisse, & ingressum esse, etiam si nondum adimpletus fuerit: nam cum de honoribus & promotionibus agitur, quae certa aetati debentur vel deferuntur, inchoati anni pro plenis habentur, l. Ad rem publicam §. annus de mun. & honor. ¶ Quisquam, §. Sabius Ad S. C. Trebell. Quo respectu nihil necesse est scrupulosius insistere in hac ambiguitate, an exempti hi dies suppleri debeant ex sequente Martio, ut novi anni integrum implementum per decursum trecentorum sexaginta quinque dierum constitui possit, ad constituendam habilitatem nominati ad maiorem taxam dicti indulti Apostolici. Et quoad praedicta Concordata, quia vacatio illius Capellaniae in Martium incidit, Pontifici, non Ordinario cedere debet; & per consequens indubitatè comprehensa sub praedicta nominatione: cum alioqui per dictum indultum Apostolicum, praesertim quod Hadrianus Papa ad augmentum confirmando concessit, dictis concordatis sit derogatum. Atque ita ius nominati putamus esse iustum & validum, illique cunctas objectiones, quas facit hoc novum Calendarium, nulla ex parte resistere.

De Pactis.

S Y M M A R I U M.

Pactum incertum de salario

1. Salarium incertum promissum an peti possit.
2. Clericus quas causas agere possit.
3. Salarium quando qua petere possit.
4. Coniungimus consanguineo gratis operam impendere praesumitur.
5. Obligatio remuneratoria actionem non dat, licet remunerationem permittat.

CONSILIVM XLVIII.

DE IVRE PONT.

QUAMQVAM abundè satis scriptum, & ex iure deductum sit per D. Ad vocatum huius causae in prima instantia, quòd ad obtinendum victoriam Domicello Guidoni de Roze Appellato, contra Dominum Ludovicum à Mathys Appellantem, sufficiat; ad illustrandam tamen causam pauca adijciemus. Et illud in primis quòd clavum totius causae continet, quòd in actis nusquam extet probata aliqua promissio certi vel incerti salarii per quandam Ioannam Pfalmier, materteram Appellati ipsi Appellanti facta. * Quo casu dubitari posset, num etiam incertum salarium, per stipulationem solemnem promissum, peti posset; quòd à plerisque negatum, Glos. in l. Salarium & in l. 1. C. Mandati, plerique alij admittunt, Salic. in l. Adversus nu. 2. C. Mandati: sed tantum nuda pollicitatio, ex sola voluntate dictae Ioannae, incertè remunerationis. Nam percurrendo testimonia, D. Ioannes Charle de promissione aut pollicitatione d. Ioannae nihil deponit; sed hoc tantum, quòd ipsa testi confessa sit, quòd Appellanti pro servitio suo in testamento providisset; quòd & verum fuit, uti ex testamento ejus exhibito constat. Franciscus Genique secundus testis de nuda pollicitatione incertè remunerationis testificatur, quòd scilicet dixerit se gratissimam fore, & liberaliter remuneraturam. Cui per omnia est similis (quamvis tamen minimè temporanea, sed ex loco & tempore singularis (depositio Martini de Renerse quarti testis, atque item testimonium Balduini Massyn, quòd d. Ioanna Aetori dixerit, ego recompenabo sic, quòd tibi gratulaberis: in quo nihil adhuc est praeter nudam pollicitationem, hoc est, offerentis nudam promissionem, interrogatione aut stipulatione nulla praecedente, l. Pactum de pollicitat. Alij testes Aetoris de promissione, aut pollicitatione, vel recognitione nihil deponunt: ita ut neque ex praedictis tribus singularibus testibus, pollicitationis probatio constitui queat, multò minus promissionis alicujus, l. Iurifurandi C. De testib. c. Licet ex quadam eod. tit. neque ex probata pollicitatione actio aliqua dari: cum expresso iure, d. l. Salarium C. Mandati & l. Qui mutuum §. Salarium D. eod. tit. quod in proposito dissimulari aut circumveniri non potest, constitutum sit, ex incerti salarii vel remunerationis pollicitatione, nec actionem, nec Iudicis officium dari; neque illud petendi ordinariè, vel extra ordinem, ullam esse facultatem: * praesertim quia Appellans in ea functione & conditione non fuerit, imò nec esse potuerit, ut causas alienas agere aut sollicitare potuerit; quia scilicet Clericus fuerit beneficiatus, & Canonicus, c. 1. Ne Clerici vel monachi &c. cui coram iudicibus saecularibus postulare, aut procuratorem seu sollicitatorem agere, non permittitur, nisi pro conjuncta aut miserabili persona; idque adhuc eo casu gratis, c. 1. de postul. & ibi Innoc. Hostien. Boib. & Panorm. Specul. tit. De advocatis §. 1. vers. Coniunctas autem. ¶ Nam qui implorationem officij iudicis permittunt ei, qui citra ullam conventionem, hoc est, solemnem promissionem operas suas alicui exhibuit, Salic. in d. l. Adversus. C. Mandati, hoc requirunt, ut is qui remunerationem laboris petit, in ea conditione fuerit, quòd soleat suas operas locare, & ex huiusmodi operis se sustentare: ut est in eo, qui